



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Qualis est amor Dei, 4

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

hic vivendo in gratia tua , in fine amore tuo
perfruar sempiterno, Amen.

C A P V T I V.

Qualis est amor Dei.

I. **O** Amor præceps, amor flagrans, amor
vehemens, amor te intra te cohibere
non valens : qui præter te aliud cogitare non
finis ; fastidis cætera, contemnis omnia præ-
ter te. Dulciter capis , strenue stringis , sa-
pienter erudis, gloriose illaqueas, oneras de-
lectabiliter , foeliciter uris , in dicto expecta-
ris. Nec consilio temperaris , nec pudore re-
frenaris, neque rationi subjiceris. Affectu es
desiderabilis , experientia dulcis , jucundi-
tate plenus , fruitione æternus , satians &
reficiens, nunquam fastidium generans. Ni-
hil (Domine Iesu Christe , fons veri amoris)
amore tuo suavius , nihil dulcius , nihil uti-
lius, nihil jucundius. Amor tuus , Domine,
non molestat, sed cum exultatione & gaudio
stringitur , & cum securitate desideratur.
Vbi tuus amor est , Domine , labor non est,
sed sapor. Seipso contentus est ; confundit
ordines , dissimulat risum , ignorat modum ;
totumque quod opportunitatis , quod ratio-
nis, quod pudoris, & quod consilii judicive
esse videtur , triumphat in seipso , & redigit
in captivitatem .

2. Amor tuus Domine libertatem donat,
timorem pellit , laborem non sentit ; meri-
tum non respicit , præmium non requirit ;
fessos alleviat , debiles roborat, mœstos lati-
ficat , esurientes reficit, & deficientes jucun-
dos

dos reddit. Amor tuus Domine Iesu Christe, qui es fons amoris, imo amor ipse, dissimulat & expectat & sustinet delinquentem, eumque benigne trahit, adducit, & converti facit ab errore viæ ejus. Amor tuus Domine Iesu Christe, fons vitæ est; nec vivere anima potest, quæ non hauserit ex illo: neque haurire potest, nisi præsens fuerit ipsi fonti, scilicet tibi, qui es fons totius amoris.

3. O fons veri amoris, & immensæ dulcedinis; qui nunquam deficis, sed semper reficis. Ego miserabilis peccator, oneratus magno pondere peccatorum, magnam sitim amoris patior: quia à te fonte vivo nimium sum elongatus. Respicere ergo me digneris misericorditer, & deducere me ad te fontem amoris & dilectionis, ut hauriam aquam tanti amoris tui; illam bibam, illa recreer, illius suavitatem & saporem degustem. Ex illa lavetur & mundetur anima mea ab omni macula peccati; ut mundata ab omni inquinamento, tibi placeat & tibi seruiat, ac tecum vivat per amorem in infinita sæculorum sæcula, Amen.

C A P V T V.

De violentia amoris Dei.

1. **O** Violentia divini amoris, qua summus omnium, infimus factus est. Hoc namque fecit verus amor, dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Nihil enim, Domine Iesu Christe, fons, imò abyssus amoris, violentius triumphat de te, quam amor. Propter quem
temet-